

A

1884  
—  
XIII.  
—

David F. : Condensus Doctrinae  
1557.

Szaben. Brukenthal Muzem könyvtára,  
jelzet VIII. M. i. Habler : Confessio.

(RMK II. 76.)

Kiegészítés a korábbi felvételhez.

1 - 2 oldal.



CONSENSVS  
DOCTRINAE DE SACRA-  
mentis Christi, Pastorum & Ministro-  
rum Ecclesiarum in inferiori Panno-  
nia, & Nationis vtriusq; in  
*tota Transylvania.*



CONSCRIPTVS ET PVBLI-  
catus in Sancta Synodo Claudiopoli-  
tana Transylvaniae, ipsa die sanctae,  
individuae & semper benedic-  
tae Trinitatis.

ANNO  
M. D. LVII



### Chrysoſtomus in Mathæum Homil. 83.

Credamus ubiq; Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ absurdum eſſe videatur, quod dicit. ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram, quaſo, ipſius authoritas: quod in omnibus & præcipue in myſterijs faciamus: Nō illa quæ a te nos iacēt, ſolumodo aſpiciētes, ſed verba ei us quoq; tenentes. Nam verbis eius defraudari nō poſſumus: Senſus vero noſter deceptus facilis eſt: illa falſa eſſe non poſſunt. hic ſepius atq; ſepius fallitur. Quoniā ergo ille dixit: hoc eſt Corpus meū, nō lateneamur ambiguitate: ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile nobis traditur à Chrō: ſed rebus ſenſibilibus. omnia vero quæ tradidit, inſenſibilia ſunt. Si tu incorporeus eſſes, nō de ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi: Quoniam vero corpori coniuncta eſt anima tua, in ſenſibilibus, intelligenda tibi traduntur. O quot modo dicunt: Vellem formam & ſpeciem eius: uellē veſtimenta ipſa, vellem calciamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, Ipſum comedis. veſtimenta eius deſideras videre? ipſe vero ſeipſum tibi tradidit, Non ut videas ſolum: verum etiam ut tangas, & in te habeas.

### Homil. 46 in Iohannem.

Veſter ego frater eſſe volui, inquit Dominus, & communicavi Carnem propter vos, & Sanguinem: & per quæ vobis coniunctus ſum, ea rursus vobis exhibui.



Vége



Δ αριολ Τερεντ :

Consensus doctrinae

Sacramenti Christi.

MOLVIII

Ornamentum

M. A. L.

RMK II 76.



## Chrysoströmus in Mathæum Homil. 83.

Credamus ubiq; Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogita-  
 tioni nostre absurdum esse videatur, quod dicit. superet & sensum, &  
 rationem nostram, queso, ipsius auctoritas: quod in omnibus & praci-  
 pue in mysterijs faciamus: Nō illa que a te nos iacēt, solummodo aspiciētes,  
 sed verba eius quoq; tenentes. Nam verbis eius defraudari nō possumus:  
 Sensus vero noster deceptus facilis est: illa falsa esse non possunt. hic  
 sepius atq; sepius fallitur. Quoniā ergo ille dixit: hoc est Corpus meū,  
 nullatenus ambiguitate: sed credamus, & oculis intellectus id per-  
 spiciamus. Nihil enim sensibile nobis traditur à Chrō: sed rebus sensibi-  
 libus. omnia vero que tradidit, insensibilia sunt. Si tu incorporeus esses,  
 audē ipsa dona incorporea tradidisset tibi: Quoniam vero corpori  
 coniuncta est anima tua, in sensibilibus, intelligenda tibi traduntur.  
 O quot modo dicunt: Vellem formam & speciem eius: uellē vestimen-  
 ta ipsa, vellem calciamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis,  
 ipsum comedis. vestimenta eius desideras videre? ipse vero seipsum tibi  
 tradidit, non ut videas solum: verum etiam ut tangas, & in te habeas.

## Homil. 46 in Iohannem.

Vester ego frater esse volui, inquit Dominus, & communicavi  
 Carnem propter vos, & Sanguinem: & per que vobis coniunctus sum,  
 ea rursus vobis exhibui.



3

PRAEFATIO.

PIO ET CHRISTIANO LEC-  
TORI GRATIAE DEI ET PACIS

*Incrementum.*

**V**erbis exprimere dolorem nō possumus, quem  
cordi nostro infert dissensio & controuersia  
mota de Sacramentis Domini ac Mediatoris nostri  
Iesu Christi: Præcipue vero hanc ob causam, quod  
plurimis videmus pomū contentionis obiectum esse  
hac mala occasione: Deniq; multorum conscientias  
labefactari, & de die in diem scandala augeri deplo-  
ramus. Ac nisi similia exempla dissensionum in vete-  
ribus historijs Ecclesiae cerneremus, facile etiam de-  
speraremus. Sed scimus Filium Dei esse custodem  
Ecclesiae suae, et hac consolatione sustentamur: quē-  
admodum & Athanasio in summo discrimine Eccle-  
siarum, per Arrianos inducto, hoc ipsum loco recre-  
ationis erat.

Ut autem ille veram concordiam expetebat, Sic  
nos ex animo cupimus vnanimi-  
tatem, & ardentibus  
votis orauimus et oramus Dominum, vt hæc tanta  
mala aut mitigarentur, aut prorsus tollerētur. Quod  
autem pacem quesierimus, nemo pius negare pote-  
rit, cum semper parati fuerimus, iuxta ardentem ora-  
tionem Christi: Pater, rogo, vt & ipsi in nobis vnū  
sint, sicut tu pater in me, et ego in te, esse concordēs.  
Porro extra hanc regulam non videmus quomodo  
concordia

A 3



4  
PRAEFATIO.

concordia institui possit, Cum omnibus praeceptum sit, ut ipsum Filium concionantem audiant, & eius manifesto ac perspicuo verbo adsenciantur.

Hæc non casu nec temere proferimus: Scimus enim inde ab initio de Sacramentis Christi in Ecclesia varias extitisse opiniones: quarum prima fuit, Sacramenta omnino nullam habere vim & efficaciam. Horum si vera est sententia, Quæ potest esse pietas? Quæ sanctitas? Quæ religio?

Secunda magni nominis virorum est, et præcipue eorum, qui sectæ Sacramentariæ patrocinantur, qui docent, Sacramenta esse notas visibiles professionum, quibus homines inter se discernuntur. Neque vero id solum, sed esse allegorias certorum operum. Contra hos dimicamus in hac nostra confessione, & eos Sacramenta Domini extenuare affirmamus. Sacramenta enim non solum sunt notæ ac allegoriæ certorum operum: sed promissionum cum signis exhibitionum demonstrationem proponunt, ut D. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos, cap. 4: explicat.

Tertius error eorum est, Qui non dubitant affirmare, hos ritus esse opera placantia iram Dei, meriti remissionem peccatorum, etiamsi nec fides, nec alij motus pii ad usum eorum afferuntur. Hæc omnia cum obscurant beneficia illius Dei, & eius actiones extenuent, omnino ratione officij nostri, cogente nos  
consciencia

5  
PRAEFATIO.

conscientia, pub. confessionem nostram proponere  
voluimus.

Vt autem omnibus eam legendam concedimus,  
Sic ab analogia libri Prophetici & Apostolici eam  
minime discedere affirmamus. Oratio autem  
veritatis vt simplex esse debet, sic eam  
quoq; breuiter & nude exhibe-  
mus. In Christo filio Dei  
Domino & Media-  
tore nostro bene  
& optime  
vale.

CAPITA CON-  
SENSVS DE SACRA-  
mentis Domini.

Singulare Dei beneficium conspicitur in perpe-  
tua conseruatione Ecclesie: & promissio eius rata &  
firma perstat, etiamsi maior pars mundi horribilibus  
furoribus Epicureis onerata & contaminata sit, & ve-  
fano impetu ruat in contemptum beneficiorum filij  
Dei, nobis collatorum.

A 3

Testimon.



## CONSENSVS DOCTRINAE

Testimonium huius rei proponit nobis vox diuina apud Isaiam recitata his verbis: Hoc foedus meum cum eis: Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, usque in sempiternum.

Hanc sermonis diuini ueritatem amplectimur, & manifeste fatemur, Deum inde ab initio efficacem fuisse in suis promissionibus, & per eas quoque semper ex genere humano, sine differentia, collegisse Ecclesiam, primo quoque tempore post lapsum in Paradiso, deinde per Prophetas, Filium suum & Apostolos, Nouissime per omnes illos, qui libri Prophetici & Apostolici testimonia sequuntur, & eorum puritatem una cum uera & dextra interpretatione retinent, Nec errores pugnantes cum his contumaciter defendunt.

Cum autem mens humana lubrica sit, & multis dubitationibus referta, plerumque etiam non satis perspiciat vim diuinarum promissionum, semper addidit Deus insignia miracula, quibus ueritatem suam confirmauit, & quod in uerbo aperte protulit, hanc esse mentem & uoluntatem suam, de qua nihil dubitemus, sed potius magna constantia animi acquiescimus, aperte demonstrauit.

Verum cum miracula, actiones instituta, & supra naturam sint, & non semper continentur: singulari sapientia Deus Sacramenta addidit, in quibus speciales

DE SACRAMENTIS DOMINI.

7

Ies fiunt applicationes pmissionum diuinarum, quæ testatur & in usum transferuntur, vt tibi, & nō alteri, scias illa promissa bona dari & exhiberi.

Ac in genere, Sacramentorū ueteris & noui testamenti magna cōuenientia est: sed in specie, ut cōspicuum est, differunt. Hinc ergo pars una errorū fluit, quod hostes Cœnæ Domini, detortam & minus cōuenientē collationem instituunt, non habita ratione differētiæ Sacramentorū ueteris & noui Testamēti.

Bonitatem uero Dei conspicuam uel ipse ordo in Sacramentis, à Christo institutus, abunde declarat. Primum enim omnes homines suo cœtui inferendos esse præcipit, Ac cum illis firmum fœdus instituit, ut omnes baptisari uerè sciant, se relatos esse in numerū filiorū Dei, Ne, ut antea, in corruptione & prauitate naturæ hærentes, desperent, & perpetuo dānentur.

Experientia autem testis est, nos multas sordes & infirmitates circumferre, quæ sæpius impellunt, ut agamus contra stipulationem factam in Baptismo cū sancta Trinitate, & labamur in multa peccata, actuali & mortalia. Hæc ut emendari, si non prorsus tolli, possent, & ad pœnitentiā regredi, secundo remedio, in quo uoluntas & misericordia Dei nobis declaratur, prospectum est.

Illud autem est Absolutio, seu potestas clauium, tradita & assignata Ministris Ecclesiæ, ubi singulis agentibus pœnitentiam, & per fidem pmissionem applicantibus, certo certius promittitur & datur remissio



missio peccatorum, & foedus uiolatum denuo resti-  
tuitur & confirmatur.

Hanc scimus ex mandato Dei institutam esse. Ut  
enī ipse Christus Via & Ostiū est regni cœlestis: sic  
predicatio Euangelij, & annūciatio remissionis pec-  
catorum, est Clauis aperiens hāc ianuam, & per eam  
ingredientes recipiens. Hęc Apostolis, & omnibus,  
qui eorum ueram profitentur doctrinā, & legittimā  
habent uocationem, cōmendata est: quam quidē au-  
dire & magnificare omnes oportet, propter eū, qui  
hos p̄fecit. Primo quidē hęc nominatim Petro da-  
ta est: Nihilominus tamen ad uniuersum ordinē A-  
postolicum pertinet: Vbi uerus usus maxime minis-  
terium cōmendat: Abusus uero deformat: Pietatis  
& bonitatis diuinæ cōmendatio in hac etiā maxi-  
mam habet laudem: tyrannis uero uituperationem.

Possēt autem aliquis in hac, & persona Ministrī,  
tanq̄ abiectę & cōtemptę in hoc mundo, in errorem  
deduci, p̄cipue cum non uideat ipsum Deum secū  
uisibiliter colloquentem, sed Ministrum specialiter  
uel generaliter ānunciantē promissionē remissionis  
peccatorum, aut eam tantum ad aliquos, non autem  
singulatim ad se pertinere: Verum, ut neq; hęc ignita  
rela Diaboli, & humane cogitationes, nos a proposi-  
to salutis nostræ auertant, singulari consilio sūmus  
noster Sacerdos & Pontifex prospexit.

Præsens autem & p̄cipuum antidotū adhibēs,  
cōmunionē Corporis et Sanguinis sui instituit, qua  
quasi



9

DE SACRAMENTIS DOMINI.

quasi ultimo munimento & robore hæc, quæ antea in verbo promisit, ob signat, & verè Corpus suum & Sanguinem in remissionem peccatorum, distribuit, Ut vna cum causa effectum quoque verè & efficaciter largiatur: quemadmodum Augustinus Lib. de verbis Domini, de Capernaitis loquens, confirmat.

De veritate huius rei si quis ambigit, secum ipse diligentius totam hanc actionem reputet. Quomodo enim de diuina erga se clementia & bonitate dubitare potest, postquam audit vocem manifestam, quæ fallere non potest, Et simul Corpus & Sanguinem Christi in hac actione sacratissima sumit, Et promissioni diuinæ credit, quin Christus Dominus in eo habitet, & vitam æternam illi largiturus sit, excitaturusque ad immortalitatem: Quemadmodum Irenæus & Cyrillus hoc ipsum in scriptis suis confirmant.

Vocabula diuersa huius actionis sacratissimæ, ab Ecclesia primitiua usurpata, vel ipsam essentiam aut usum demonstrant, & veram huius sacramenti sententiam confirmant, quæ aut à causa efficiente, aut materiali, aut formali, aut finali denominationem habent.

Latina Ecclesia eam appellat Mensam Domini: eò quòd Dominus, summus noster Pontifex & Sacerdos, ea ipsa hora, qua suam auspicatorum erat mortem, vna cum suis mensæ assidens, hoc suum testamentum condidit, et hæc summa sua bona, videlicet, Corpus suum & Sanguinem, distribuit.

B

Græca



## CONSENSVS DOCTRINAE

Græca ecclesia vsa est vocabulo κοινωνία, quod à causa materiali deductum est. Ideo enim communio dicitur, quia ibi communicantur nobis ea bona, quæ filius Dei promittit in ipsa actione & vsu: quæ admodum D. Paulus Apostolus 1. Corinth. 10: manifeste docet, inquit: Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est? Calix, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?

συναξίς coactionis seu congressus publici nomen habet à causa formali. Edere enim & bibere, secundum præceptum Christi, Corpus & Sanguinem eius, est nobis mandatum: Et illud esse, non nudè quidem, sed secundum authoris institutionem, nepe sic, quem admodum illud D. Epiphanius, in libro Ancorato, perspicuè explicat, inquit: Quomodo subtilitas hæc, (loquitur de modo præsentia Corporis & Sanguinis Christi, cum elementis visibilibus) intelligatur, soli Deo cognitum est. Nos autem citra curiositatē, & absq; malignitate credimus Deo vera in omnibus dicenti. Videmus quæ accepit Saluator in manus suas, & ubi gratias egisset, dixit: hoc meum est: Hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermone, Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à Gratia & Salute.

A causa finali dicitur Gratiarum actio & commemoratio. Debemus enim ex officio, vt reuocara in memoriam



DE SACRAMENTIS DOMINI.

memoriam illius sacratissima morte, beneficia eiusdē grata mente recolamus: idq; ut faciamus, merito redemptoris nostri immensus amor impellit, quia pro nobis factus est *λυτρωτης*, & poenam subiit.

Recte igitur sentimus & fatemur secundum institutionem Christi, Coenam Domini esse actionem certi generis, sanctissimam & grauissimam, quam ipse filius Dei, omnis sapientiae largitor & author, ex inenarrabili & imperisrutabili amore erga genus humanum, valedicens nobis, instituit & ordinauit, in qua actione manducationis panis, & sumptione vini, simul nobis exhibet atq; imperit, iuxta formam testamenti, Corpus illud, quod pro salute generis humani acerbissimos cruciatus sustinuit: & Sanguinē, quem pro nobis in cruce effudit.

Hæc autem actio instituta est ab ipso Christo, ut ventibus in memoriam reuocet magnifica & salutaria beneficia, quæ ipse generi humano præstitit: & exuscitet in nobis fidem, Inuocationem, Confessionem, Spem Resurrectionis ex morte, piam Reuerentiam & Gratiudinē erga Deum, qui propter hanc victimam vere nos recipit, exaudit & saluat.

Hanc definitionem iudicamus esse perspicuam, non ex vnicā parte verborum institutionis, sed ex toto corpore desumptam, In qua manifestē omnes errores, cum veritate pugnantes, refutantur.

Primo, pompa Persica, in qua panis, argēto & auro inclusus, extra institutam actionem, circumfer-  
tur &



CONSENSVS DOCTRINAE

tur & adoratur: cum extra vsum rationem minime obtineat Sacramenti.

Secundo, Prohibitio alterius speciei, quae cum verbis institutionis, & primitiuę ecclesię testimonijs, manifeste pugnat.

Tertio, Transubstantiatio. Neq; enim hæc propositio: Hoc est Corpus meum &c significat talem conuersionem, aut transelementationem: sed copulationem Corporis & Sanguinis Christi cum pane & vino, conuenientem Sacramentis. Quamobrem eadem de causa D. Paulus vocabula panis & vini retinet & usurpat, peracta etiam consecratione.

Non quidem negamus omnipotentiam Dei tantam esse, vt possit in Eucharistia substantiam panis & vini vel annihilare, vel in Corpus & Sanguinem Christi mutare: Sed quod Deus hæc suam absolutam omnipotentiam in Eucharistia exerceat, non videtur certo verbo Dei esse traditum. Et apparet veteri ecclesię fuisse ignotum. Sicut enim cum in Ezechiele de vrbe Hyerusalem, latere descripta, dicitur: ISTA EST HYERUSALEM, non necesse fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Hyerusalem: Ita cum de pane dicitur: Hoc est corpus meum, Non est necesse, vt substantia panis mutetur in substantiam Corporis Christi, Sed ad veritatem Sacramenti sufficit, qd Corpus Christi verè sit cū pane p̄sēs, Atq; a deo necessitas ipsa veritatis Sacramenti exigere videtur, vt cū vera p̄snetia Corporis Christi, verus panis maneat.

Quarto



13

DE SACRAMENTIS DOMINI.

Quarto denique perspicuum est, errorem Bertrami, Berengarii, Wickeffii, Zuinglii & Oecolampadii, diu in Gallijs, Italia, Anglia & Germania, recens autem in nostra patria, alias ter afflictissima, excitatum, esse valde perniciosum, dum euacuat & tollit substantiam Sacramenti, nihil praeter nuda symbola rerum relinquens: Imo tollens nucleum, & nihil praeter putamina ecclesiae filii Dei obtrudens: Quae quidem sententia, quia rationi & sensibus humanis competens est, facile arripitur & creditur. Verum scimus fundamentum Theologicum esse, ut contra absurda rationis nostrae verbo Dei credamus, rationemque nostram in obsequium Deo captiuemus, ut D. Paulus docet.

Hinc perspicuum est, fundamenta argumentorum, quibus Sacramentarii suam nituntur stabilire causam, nihil aliud esse, quam vel cerebri sui figmenta, imo rationis praedicia, Et testimonia sacrae scripturae ac Patrum detorta: denique articuli fidei: Ascendit ad caelos, corruptela. quamuis pharmacis sapientibus obpalliat, & flexiloquijs colorata.

Scimus autem totum fundamentum disputationis huius natum esse ex inquisitione de modo praesentiae. Sed cum orationes diuinae loco subiecti requirant fidem, quam D. Paulus substantiam rerum non apparentium nominat, certe modum caelestem, & rationi nostrae incognitum esse, affirmamus. Ut enim non cadit in naturam humanam, Quomodo Deus inclusus aluo virginis gestari & nasci potuerit, praesertim



14  
CONSENSVS DOCTRINAE

tertium cum nulla sit proportio finiti ad infinitum, nihilominus tamen D. Iohannes in principio concionis suae euangelicę, affirmat filium Dei naturam humanam assumisse, id nos, nisi aperte blasphemum esse velimus, credere oportet.

Sic nec intelligimus, nec ratione perspicimus, quomodo corpus humanum, in multas partes resolutum, suam pristinam formam assumat: nihilominus tamen huic absurditati fides clara & certa promissionē anteponi, qua Deus testatur se omnes mortuos in vitam reuocaturum esse.

Hanc non esse nostram, sed veteris & purioris Ecclesię interpretationem, manifestum est.

D. Ambrosius in lib. de ijs, qui iniciantur sacris, cap. 9: modum pręsentię Corporis & Sanguinis Christi in cœna esse pręternaturalem, sicut & conceptionem & natiuitatem ex virgine Maria, manifeste demonstrat.

Epiphanius in Lib. Ancorato inquit: Hanc subtilitatem soli Deo cognitam esse: Imo vera Deo in omnibus dicenti absq; curiositate & malignitate credendum esse.

Cyrillus in sextum caput Iohannis modum inquisitionis extra verbum pręscriptum, Hoc est Corpus meum, dicit quoddam Iudaicum esse, & extremi supplicij causam.

Quoties



15

DE SACRAMENTIS DOMINI.

Quoties igitur mens humana disputat, & anxie  
quærit, quomodo in cœna Corpus et Sanguis Chris-  
ti exhibeantur, non vagentur extra verbum, sed dicta  
Euangelij sibi proponat, & Christo Domino tribuat  
gloriam veritatis, vt quõdam Abraham Patriarcha,  
de quo D. Paulus ad Romanos cap. 4: inquit: Pre-  
ter spem sub spe credidit, & ad promissionem Dei  
non hæsitauit ob incredulitatem, sed robustus factus  
est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione cõ-  
cepta, quod is, qui promiserat, **IDEM POTENS  
ESSET ET PRESTARE**, Quapropter etiam  
imputatum est illi ad iustitiam.

Hæc cogitare ad pietatem & ad tranquillitatem  
conscientiæ vtile est. Et cum hac sententia omnia ex-  
empla & dicta, quæ de actionibus diuinis, & myste-  
riorum dignitate concionantur, consentiunt: quæ  
tamen omnia nunc breuitatis causa omittimus.

Non solum autem essentia Sacramenti purè & in-  
tegrè retinenda est, vt neq; plus iusto addatur, neq;  
quicq; adimatur: Verum in hoc quoq; elaborandum  
est, vt de v su seu causa finali homines rectè institu-  
antur, quæ omnia compendiose hijs quinque capitibus  
continentur: Confirmatione fidei, Exercitio inuo-  
cationis & gratiarum actionis, Confessione Euan-  
gelij, Officio dilectionis, Testimonio de stabilitate  
Ecclesiæ, Spe resurrectionis & vitæ æternæ.

Vtrumq;



CONSENSVS DOCTRINAE

Vtrumq; autem in ecclesia retinendum est, videlicet, vt de essentia Sacramenti recte sentiamus, Et sic de vsu, & spiritali manducatione, statuamus, ne praesentiam Corporis & Sanguinis Christi negemus. Immutabilis enim norma voluntatis & iustitiae diuinae immutaretur, si propter rem nihili, & nudam, abiceret abutentes & reos.

Quamuis autem in nobis nihil tale est, ex opere operato, quod iudicio Dei opponi possit, Nihilominus tamen recte affirmamus, quosdam digne, quosdam vero indigne accedere. Digne accedunt, quotquot praediti veris exercitijs poenitentiae, inuocationis, dilectionis &c mandatis Dei obtemperant, & propositum non peccandi retinent. Econtra vero, non digne accedunt, quicumq; securitate, contemptu Dei, similitate, & reliquis vitijs laborant, quae procul pellenda essent ex corde, per Spiritum Sanctum illustrato.

Vt autem praeccepta diuina sunt seria, Et requirit filius Dei, vt non grauatim ei obtemperemus, si modo bonorum eius participes esse volumus, Manifeste docemus & affirmamus, sumptionem eam, & totam hanc sacrosanctam actionem non esse quiddam adyaphoron, vt olim Messaliani Haeretici, qui & Eutichae dicti sunt, docuerunt, & nunc Sacramentarij: Sed velle Deum, & requirere a nobis, vt hanc sacratissimam actionem iteremus, & eam ad vsu transferamus: Imo in Ecclesia continuemus, vt D. Paulus docet: Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Manifestu

17  
DE SACRAMENTIS DOMINI.

Manifestum etiam est ex institutione primitivæ Ecclesiæ, omnes Christianos singulis diebus accessisse. Postea vero successivis temporibus singulis septimanis semel: Quousq; tandem per Papparum imposturam annum spacium indictum fuit.

Hæc brevia delineamenta sunt doctrinæ nostræ de sacra Communione, & sic eam sonamus, & populis, nostræ curæ commissis, annuntiamus, eandemq; in posterum, Deo Opt. Max. volente, annuntiaturi sumus. Et vberiorē declarationem omnium Punctorum & Articulorum scriptis nequaquam recusamus, Imo publicè diiudicanda offerimus. Neq; quicq; quod ad nos attinebat, defuit, Verum aduersa pars, diuina Sacramenta impetens, hætenus iudicium Ecclesiæ subterfugit: quemadmodum falsi illorum prætextus & excusationes in hac præseni actione abunde demonstrant.



C



# CAPITA CON- SENSVS DE SACRA- mento Baptismatis.

**D**octrina Baptismatis, duce Deo, in Ecclesijs nostris recte proponitur, ipsaq; diuina cæremo-  
nia rite peragitur.

Docemus autem, Quod hæc actio necessaria sit ad salutem, tanq; actio & cæremonia, per Christum filium Dei instituta. Secus enim Deus non absoluit opus suum in nobis, quam per verbum & Sacra-  
menta.

Diligenter autem obseruandum est, Baptisma secundum institutionem Christi, esse singularem actionem, in qua nobis gratia Dei offertur, & sit tes-  
tificatio, nos recipi à tota Trinitate, & in numerum saluandorum adscribi.

Vt autem Circumcisio semel tantum fiebat, in cuius locum hæc cæremonia in testamento nouo per filium Dei instituta est: sic singuli semel tantum bap-  
tismi sunt. Verum commemoratio de significa-  
tione, & fœdere pacto inter nos & Deum, in doc-  
trina pœnitentiæ, mortificationis & reliquis repeti-  
tur, vt decet, ac fideliter populo proponitur.

Quid autem illustrius dici posset, quam quod  
in verbis

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

19  
in verbis Baptismatis proponitur. In his enim ver-  
bis, quæ Minister, ex ordinatione diuina, recitat:  
Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus  
Sancti, summa Euangelij comprehenditur, &  
perspicua hæc est sententia: Testificor hac ablutione  
& mersione, te abluï à peccatis, & recipi à vero Deo,  
qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te per  
filium vnigenitum redemit, teq; spiritu suo sancto  
regere ac sanctificare expetit: Tu igitur memor hui-  
us actionis, hunc verum Deum agnoscas & inuoces,  
eumq; ab omnibus commenticijs numinibus discer-  
nas, & certo statuas, tibi tribui ea beneficia, quæ ubi  
in Euangelio promissa sunt.

Interpretationem hanc non à nobis confectam  
esse, manifestum est, Sed consencientem voci Apos-  
tolicæ demonstrari potest. Diuus enim Petrus Apos-  
tolus totam hanc actionem nominat stipulationem  
bonæ conscientie erga Deum, per resurrectionem Ie-  
su Christi, qui est ad dexteram Dei.

Tota emphasis in vocabulo Stipulationis con-  
sistit, quod monstrat, Deum nobiscum fœdus pacif-  
ci, & sanatis vulneribus conscientiarum nostrarum  
nos recipi. Sic & nos vicissim cum Deo fœdus faci-  
mus, Quod hunc verum Deum inuocare velimus,  
Et statuimus per filium Dei resuscitatum ex morte,  
& perpetuo regnantem ad dextram Dei, & interpel-  
lantem pro nobis, nos recipi & saluari.

C 2

Hæc



## CONSENSVS DOCTRINAE

Hæc principalis quoq; causa est, cur professionē eam, & abrenūctiationem, quæ temporibus Apostolorum, & subsequentibus, recepta & v̄itata fuit in Ecclesia, & nos retineamus, neq; propter figmenta Sacramentariorum eam ex cœtu ecclesiastico eijciendam esse statuimus. Scimus enim præceptum Dei esse, vt abnegemus nosmetipsos, & eum sequamur. In Baptismo ordinur initium sequelæ: Nil ergo vetat, quo minus abnegemus & renūctiemus Diabolo, Mundo pompisq; eius, et Carni. Neq; minus inclusiue & implicite eandem in verbis Baptismatis contineri manifestum est.

Huius rei manifestæ sunt probationes. Cū enim Christus Dominus Baptisma instituit, iubet annūciare pœnitentiam, quæ nihil aliud est, quam mortificatio quædam hominis, Imo seria & non ficta conuersio ad Deum, vbi non fit responsio qualiscunq;, sed teste D. Paulo, corpus mortale destruitur, & vna cū Christo cruciigitur.

Quid dicemus de eo, quod addit: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Si mortificatio, conuersio, pœnitentia & reliqui motus p̄i non adsunt, qualem constituemus fidem? Certe mancam & mortuam, & nequaq; eam, de qua D. Paulus concionatur, quæ sit efficax, & per dilectionem operatur.

Iudicamus igitur, nihil stultius esse in actionibus humanis, quā more Giganteo cum Deo Opt. Max. & eius sancto verbo, dimicare.

Quod

21

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

Quod autem de impossibilitate obijcitur, id plane absurdum est. Scimus enim, teste D. Paulo Apostolo, per eum nos omnia posse, qui nos confortat: Et eum qui dedit velle, posse dare & perficere. Vnde & D. Augustinus, Tom. 10. Serm. 43. inquit: Dedit tibi Deus potestatem, per Spiritum Sanctum, vt membra tua teneas. Surgit libido: tene tu membra: noli exhibere membra tua arma iniquitatis peccato.

Si propter impedimenta hæc abrenunciatio abijcienda est, Cur non eodem modo & inuocatio rejicitur: cui multa obstrepunt, & in qua potissimum impossibilitas præoccupat mentes & cogitationes nostras. Verum vt hæc promissionibus diuinis & fide depellenda sunt: ita & violato fœdere & abrenunciatione, in naufragio tabula aliqua apprehendenda est, & ad primum gradum pœnitentiæ recurrendum, ac statuendum, quòd hæ nostræ infirmitates & peccata nobis per filium condonentur, Et nos ad eum confugientes verè recipiamur & saluemur.

Sic diametraliter pugnamus cum omnibus, qui negant infantibus Baptismum. Certissimum enim est, promissionē gratiæ ad eos quoq; pertinere, quæ admodum Christus filius Dei ipse testatur, inquitens: Sinite paruulos venire ad me: Talium est enim regnum cœlorum.

C3

Hæc



CONSENSVS DOCTRINAE

Hæc simplex, breuis & perspicua est confessio, laus Deo Opt. Max. omnium piorum Pastorum & Ministrorum Ecclesiarum Christi in inferiori Pannonia, & vtriusq; nationis in tota Transylvania, horumq; omnium consensus vnanimis, paucis quibusdam sectæ Sacramentariæ adherentibus, exceptis, Quos nec pro membris Ecclesiæ Dei agnoscimus: verum eos, iudicio Ecclesiæ, pro damnatis & excōmunicatis ab omnibus fratribus nostris, nobis in vnitare & puritate doctrinæ coniunctis, haberi volumus.

Oramus autem æternum Deum, conditorem omnium angelicæ & humanæ naturæ, vna cum filio eius, Domino nostro Iesu Christo pro nobis crucifixo & resuscitato, sedēte ad dexteram patris, ac interpellante pro nobis, & per verbum Euangelij sui colligentis Ecclesiam passim per orbem terrarum, vt mentes docentium & discientium cōiungat, eosq; spiritu suo sancto regat, & in agnita veritate, contra omnia scandala & hæreses tueatur & defendat: quē admodum in extremo agone orans testatus est, hijs verbis: Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas est, Et nos ōnes vasa misericordiæ et nō iræ illius constituat, Vt promissionibus Imanuelis, ducis & custodis nostri freti, puritatem & integritatem verbi retineamus, fidelesq; Ministri esse possimus, Vt promissa bona possidere queamus: quemadmodum dicitur: Esto fidelis vsq; ad mortem, Et dabo tibi coronam



23

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

nam vitæ, ut sic vna cum omnibus Sanctis Dei, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Imo cum omnibus membris Ecclesiæ, quæ quondam, hæcque nostra ætate, pro huius veritatis defensione sanguinem suum fuderunt, verum Deum laudemus, Cui laus & imperium per omnia secula, amen.

*Acta & publicata loco & tempore vt supra &c.*

NOMINA EORVM, QUI HV-  
ic Confessione, suo, & absentium  
fratrum præsentiumque nomi-  
ne subscripserunt.

M. Sebastianus Boldius, Pastor Ecclesiæ Dei Bõitekien. ac Superintendens Ecclesiarum Christi in inferiori Pannonia, subscripsit.

Matthias Heblerus, Pastor Ecclesiæ Cibinien. ac Superintendens Ecclesiarum Dei, nationis Saxonicæ in Transylvania, subscripsit.

Franciscus Davidis, Pastor Ecclesiæ Claudio-  
politanae, ac Superintendens Ecclesiarum Christi nationis Hungaricæ in Transylvania, subscripsit

Caspar

Caspar Heltus, Senior Ecclesie Claudiopoli-  
tane, subscripsit.

Michael Deretskeynus, Ecclesiastes Claudiopo-  
litanus, subscripsit.

Nicolaus Fabricius, Pastor Ecclesie Dei in Insu-  
la Christiana, ac Decanus Capituli Cibiniensis, sub-  
scripsit.

Franciscus Saliceus, Pastor Ecclesie Dei BIRTHALBĒ  
sis, Itē Matthias Glatzius, Pastor Ecclesie Richinē  
nomine clarissimi & reuerendi viri, Domini Vin-  
centij, Pastoris Musnani, Decani generalis, suo, &  
reliquorum fratrum Duarum Sediū, & Capituli  
Megyensis, subscripserunt.

Matthias Pastor Ecclesie Dei Latinae superio-  
ris, ac Decanus Capituli Bistriciensis, subscripsit.

Albertus Draconites, Pastor Ecclesie Bistricien-  
sis, subscripsit.

Adamus Pomarius, Pastor Ecclesie Dei Hey-  
dendorffen, subscripsit.

Christianus Pomarius, Pastor Ecclesie Dei  
Lechnitzien. subscripsit.

Petrus Ludouicus, Pastor Ecclesie Dei in Mag-  
no Demetrio, subscripsit.



25

Laurentius Kleyn, Pastor Ecclesiæ Dei in Szol-  
na, subscripsit.

Christannus Costius, Pastor Ecclesiæ Christi in  
Sabeso nomine reuerendi viri Gregorij Pastoris in  
Magna Polda ac eius Capituli Decani, suo & om-  
nium reliquorum fratrum nomine totius districtus,  
subscripsit.

Stephanus Pastor Ecclesiæ Dei in Alwintz, Col-  
lega Christiani Costij, subscripsit.

Michael Horuathi, Pastor Ecclesiæ Dei in Ha-  
dad, ac Archidiaconus Szilagien. subscripsit.

Emericus Chanadinus, Pastor Ecclesiæ Dei in  
Erdöd, subscripsit.

Dyonisius Alesius, Pastor Ecclesiæ Dei in Fe-  
nes, ac Decanus Capituli Gyalien. suo & omnium  
fratrum nomine, subscripsit.

Ambrosius Macerius, Pastor Ecclesiæ Ennye-  
dien. Archidiaconus Kükélien. suo & fratrum no-  
mine, subscripsit.

Iohannes Hunnyadinus, Pastor Ecclesiæ Dei in  
Theremi, Archidiaconus Sziculien. & suo & om-  
nium fratrum nomine, subscripsit.

Ioannes Bozzasi, eiusdem loci Pastor, ac Ar-  
chidia-

chidiaconus Szolnokien. suo & omnium fratru nomine subscripsit.

Albertus Mocus, Pastor Ecclesie Dei in Borsa, ac Archidiaconus Comitatus Doboca, suo & fratru nomine subscripsit.

Iohannes Ieggenei, Pastor ciuitatis Thordensis, ac eiusdem Comitatus Archidiaconus, suo & fratru nomine, subscripsit.

Michael Nagyfalui, Pastor Ecclesie Dei Hunnyadien. ac Archidiaconus districtus Kalotta.

IOHANNES DAMASCENS

De Sanctis & incontaminatis

Christi Mysterijs orthodoxæ

fidei: Lib. 4: Cap. 14

Dominus Iesus suscepturus voluntariam pro nobis mortem, in nocte, qua seipsum obtulit, testamentum nouum disposuit sanctis discipulis & Apostolis, & per ipsos omnibus alijs in seipsum credentibus. In cœnaculo igitur sancte & gloriose Zion antiquum Pascha cum discipulis suis manducans, & implens antiquum testamentum, lauit discipulorum pedes. Deinde frangens panem, dedit illis dicens:  
Accipite



DE S. ET INCONTA: CHRISTI MYSTERIIS.

Accipite, comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangetur in remissionem peccatorum. Similiter accipiens calicem &c. Si igitur verbum Dei vivens est & efficax, Et omnia, quaecumque voluit Dominus, fecit, si dixit: Fiat lux, Et facta est lux: Fiat firmamentum, Et factum est, Si verbo Dei caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, Si caelum & terra, aqua, ignis, & aer, & omnis ornatus eorum, verbo Domini perfecta sunt, Et homo ipse, ubique divulgatum animal. Si volens, ipse Deus verbum, factus est homo, & ex sanctae virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus, in seipso, sine femine, carne sustentavit, Nonne potest panem sui ipsius Corpus facere, & vinum Sanguinem? Dixit in principio: producat terra herbam virentem, Et usque nunc, pluvia facta, producit germina, diuino coadiuta & vigorata praeepto, Dixit Deus: Hoc est Corpus meum. Et: Hic est Sanguis meus. Et: Hoc facite in meam commemorationem, Et omnipotenti eius praeepto, donec veniat, efficitur, Sic enim dixit: Donec veniat, Et fit pluvia novae huic agriculturae, per invocationem Spiritus Sancti obumbrans virtus. Nam quemadmodum omnia, quaecumque fecit Deus, Spiritu Sancto operante fecit: sic & nunc Spiritus S. operatione haec, super naturam, operatur, quae non potest capere, NISI SOLA FIDES.

Quomodo fiet istud mihi? dicit sancta virgo,  
 Quoniam virum non cognosco. Respondet Gabri-  
 el Archang.

## IOHANNES DAMASCENVS

el Archangelus. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Et nunc interrogas: Quomodo panis fit Corpus Christi: & vinum Sanguis: Respondeo tibi & ego: Spiritus S. obumbrat, & hæc operatur, super sermonem & intelligentiam: Panis autem & vinum transumuntur: Nouit enim Deus humanam infirmitatem, quæ complura, vfu non trita, auersatur, molestè ferens. A suo igitur codefensu vsus, per consuetam naturæ ea facit, quæ sunt super naturam.

Et quemadmodum in Baptismate, (quia consuetudo hominibus est aqua lauari) coniunxit aquæ gratiam Spiritus Sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis. Hunc in modum, quia mos hominibus est, panem manducare, & vinum bibere, coniunxit hijs ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum Corpus & Sanguinem, vt per asueta, & quæ sunt secundum naturam, in hijs quæ sunt super naturam, collocemur. Corpus enim secundum veritatem, coniunctum est diuinitati, quod ex sancta virgine Corpus est: Non quod ipsum Corpus assumptum ex cælo descenderit: sed quod ipse panis & vinum transmutatur in Corpus & Sanguinem Dei. (Transmutatur. Hic non intellige papisticam transelementationem & transubstantiationem. Loquitur enim Damascenus more Patrum, Qui terrestrem panis conditionem & vsu, in cælestem ita mutari intellexerunt, vt fidei iam non sit terrenus panis, nec in eo vsu, quo est panis terrenus: sed quæ iam transfuit in Corpus Domini, & cælesti pastui seruiat. Hæc mutatio conditionalis est, non substantialis. Et quoniam digna est, quam admiremur & suspiciamus



29

DE S. ET INCONTA: CHRISTI MYSTERIIS.

& suspiciamus, recte dixerūt Patres, Mirabili modo panem mutari in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini. Quis enim non stupeat, terrenum panem in id dignitatis assumi & transire, vt Sacramentum fiat, & verum Corpus Christi? Hanc esse mentem Damasceni, subsequens paragraphus de ignito carbone ostendit. Duo simul sunt, Ignis & carbonis: Sic in Coena panis & Corpus Christi, ordinatione & institutione diuina, sacramentali copula siue coniunctione copulata & unita &c. )

Si autem modum quæris, Quo nam pacto fit: fat fit tibi audire: Quoniam per Spiritum Sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara, seipso, et in seipso, Dominus carnem sustentauit: & nihil amplius cognoscimus, quàm quod Verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens, **MODVS AVTEM INSCRVTABILIS.**

Non est figura, panis & vinum, Corporis & Sanguinis Christi, ( absit enim hoc ) Sed est **IPSVM CORPVS DOMINI DEIFICATVM**, ipso Domino dicente: Hoc est meum, ( non figura Corporis ) sed Corpus. Et, non figura Sanguinis: sed Sanguis. Proinde omni cum timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis, quemadmodum credimus, non dubitantes. Et veneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, **CRVCIFIXI CORPVS SVSCIPIAMVS**; Et apponentes oculos & labia diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij, assumens eo ex carbone ignitionem, com-

## IOHANNES DAMASCENVS

burat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonem vidit Isaias. Carbo autem simplex nō est: sed vnitus igni: Sic panis communionis non panis simplex est: sed vnitus diuinitati, & Corpus vnitum diuinitati. Non vna ac eadem illi natura est: sed vna Corporis, Et vnitæ diuinitatis altera. Quare amborum simul, non vna natura est, sed duæ.

Exemplaria futurorum dicuntur, Non vt nō existentia verè Corpus & Sanguis Christi: Sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitati: tunc autem intellectualiter per solam visionem. Hæc & similia Græcus Pater Iohannes Damascenus.


## Augustinus, Lib. De verbis Domini &amp;c.

Ne ergo, vt isti putabant, per frustra discerptus, & crudus, vel coctus, manducari crederetur, ipse summus Sacerdos seipsum patri pro nobis offerens, Sacramentum, quo verè & salubriter māducari posset, ac bibi, confecit, tradensq; discipulis, qui, ne in mysterio mysticè & non propriè vel verè loqui putaretur, ait: Non futurū predico, Non absens aliquid denunctio: Sed hoc, quod præsentialiter do, est Corpus meum, Nō figuratū: sed VERVM IPSVM, quod



31

DE S. ET INCONTA. CHRISTI MYSTERIIS.  
quod pro vobis traditur, Hic est Sanguis, IDEM  
IPSE, qui pro vobis effundetur: Adde  
etiam proprie, proprium suae carnis  
effectum, scilicet, Remissionem peccatorum.



IMPRESSVS CLAVDIOPOLI  
Transylvanicae in officina Georgij  
Hoffgreuij. Anno 1557.

Vége